

15
20
QUOD FOELIX FAUSTUMQUE ESSE JUBEAT
DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS.
DISCURSUS JURIDICUS

QUÆSTIONES NON-
NULLAS HOMICIDIUM
ET DEFENSIONEM SUI NE-
CESSARIAM CONCERNEN-
TES CONTINENS

QUEM

*Divinà Gratià, Et Licentia Ampliff. Facultat. Jurid. fe-
cit, & publicæ Eruditorum censura modestè fitit.
In Inchyto ATHENÆO Aboenf. ad diem 21. junij A: 1672.*

SUB MODERAMINE

CONSULTISSIMI VIRI,

AXELII KEMPE, JUR:

Profefloris Publici & ordinarij. Antehac Hiftor. &
Polit. Profefl. Celeberrimi: MECÆNATIS ac studi-
orum meorum PROMOTORIS multis nomi-
nibus æternum fufpiciendi.

RESPONDENS

ANDREAS ANDREÆ MERTHEN.

Andreas Andreæ Merthen.
A B O Æ

1672.

Excudit PETRUS HANSONIUS Acad. Typog.

ILLUSTRISSIMO. AC. EXCEL-
LENTISSIMO,

DOMINO

ERICO Sparre/
LIBERO. BARONI. DE.

Cronebergh/

DOMINO DE Höfrens
& Soderöen.

IN. SUPREMO. JUSTITIÆ. COLLEGIO.

PRÆSIDI. GRAVISSIMO

UT. ET

DISTRICTUS. CALMARIENSIS.

DIRECTORI. SUMMO.

NEC NON
ILLUSTRISSIMO. AC. GENE-
ROSISSIMO

DOMINO
LAURENTIO Creutz.
LIBERO BARONI DE
Casaritz

DOMINO DE Abborfors.
Sawelax. Ciuxala. & Saris.

MILITIÆ. MAGNI.
DUCATUS. FINLANDIÆ.

H. T. LUSTRATORI
GENERALI.

UTRISQUE

SACRÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.

REGNIQUE. SVECIÆ.

SENATORIB⁹. EMINENTISSIMIS

NUNC. VERO.

IN. CELEBERRIMA. EJUS. PROVINCIA

FINLANDIA

LEGATIS. MAGNIFICIS.

HEROIBUS

PIIS. ET. SAPIENTIBUS

AD. SPLENDOREM. PRÆSENTIS. SECULI.

POSTERITATIS. VERO. EXEMPLUM.

NATIS.

LITERATORUM. QUORUM. IPSI.

PRINCIPES.

FAUTORIBUS. BENEFICENTISSIMIS

IMMORTALE. DECUS. DUDUM. PROMERITIS

DOMINIS. GRATIOSISSIMIS

NON, PRO. FASTIGIO. VIRTUTUM.

HEROICARUM

SED, PRO. TENUI. COPIA. RERUM
PRÆSENTIUM.

PRÆSENTIAM. VESTRAM.

IN. HOC. OPPIDO

SUMME. NECESSARIIS, REBUS. OCCUPATAM
MAXIMIS. NEGOTIIS. PAREM,

QUAM

ECCLESIAE. VERÆ. CHRISTIANÆ. SALUTAREM

AUTOR. SALUTIS

TOTI. IMPERIO. SVECICO
PACIFICAM.

PRINCEPS. PACIS.

INCLYTO. DUCATUI. FINNINGIÆ.
GLORIOSAM

REX. GLORIÆ.

HUIC. ACADEMIÆ HO-
NORIFICAM

SUPREMI. HONORIS. ARBITER
ESSE. PORRO. JUBEAT.

DEUS. TER. OPTIMUS.
TER. MAXIMUS

QUICQUID. HOC. EST.
SACRUM. ESSE. CUPIT

Illustrissimorum Vestrorum Nominum

Observantissimus Cultor.

ANDREAS ANDREÆ MERTHEN
Author & Respondens.

DEO DIRIGENTE NIHIL EST
QUOD ARCEAT



Notum omnibus est ꝑ. Decalogi præceptum, *Non occides.* Quâ lege cautum est, ne homicidium perpetretur, quo crimine nihil atrocius & horribilius, cum Hominem ad Imaginem Dei conditum destruat, Remq; publicam, cujus interest conservari humanam societatem, civibus privet. Hinc hujus criminis pœnæ tam de jure divino quam humano variant, juxta diversas ejusdem qualitates; prout animus & propositum maleficia distingvunt. Est enim homicidium vel voluntarium & dolosum; vel involuntarium, culposum & fortuitum, de quâ posteriori specie nonnulla adferemus. Quæritur itaq;

I. *An impunè quis patrare possit homicidium casuale & involuntarium, & an pœnæ subjaceat illud defensorium, ac per duellum commissum?* Motæ quæstionis tria distincta momenta, distinctas exigunt solutiones. (a) De casuali homicidio, an sc. illud sit capitali supplicio expiandum? Hoc non simpliciter affirmandum, nec simpliciter negandum, sed per limitationem decidendum. Varijs cumulatisq; Limitationibus se diffundunt *Azorius, Cajetanus, Navarrus, Covarruvias,*

Ameſus, Alſedius. &c. Nos copioſæ materiæ iliada unius
 diſtinctionis nuci includemus. Aliud eſt homicidium
 caſuale ſeu involuntarium, quod nec prævideri nec vi-
 tari potuit, quantumvis juſtâ ac ſufficienti adhibitâ dili-
 gentiâ: aliud, quod prævideri & navatâ cura operâq;
 declinari potuit. Poſterius homicidij caſualis genus,
 cum mere caſuale non ſit, reddit reum interdum capi-
 tali pœnâ dignum, juxta diſertam legis divinæ ſenten-
 tiam. Exod. XXI, 29. *Si Dominus bovis petulci, monitus de
 hujus ferocia, non aſſervaverit eum, & interfecerit virum aut
 mulierem; bos ille lapidator, & Dominus ejus morte plectitor.*
 Deut: XXI, 8. *Cum ædificas domum, facies murum per cir-
 cumitum tecti, ne ſias ſanguinis reus, ſi quis ex eo delabatur.*
 Confer. Cap. 8. *Drååpm: B: medh wåda: St: L: .*
 Item C: 14: ead. ubi hæc verba extant; *wari dâ drååp
 eller gerning i willian wårkoni.* Ubi tamen lex noſtra
 pecuniariam pœnam decrevit per vocem *Botum* dicti
 C. 8. *Drååp medh wådha;* quæ vox ita quoq; usur-
 patur cap. 1. *Drååp: B: medh willia St: L.* Prius ve-
 rò caſualis homicidij genus non eſt peccatum morte ex-
 piandum; Si ſcilicet oriatur circa rem licitam, hone-
 ſtam & neceſſariam; Exod. XXI: 13; ut, *Si quis jverit cum
 proximo ſuo in ſylva ad cadendum ligna, & vibrante ſe manu
 ejus, ad cadendum lignum, dejecerit ferrum è manubrio ejus,
 quod offendat proximum ejus ita ut moriatur; Deut. XIX, 4. 5. 6.*
 Talibus homicidis aſyla, ad quæ confugerent, ordinavit
 Deus, Num. XXXV. 6. II. 12. Deut. XIX. 3. Joſv. XX, 4.
 Si verò culpa aliqua Lata vel Levis præceſſerit, non pla-
 nè excuſabitur committens homicidium, & lata quidem
 culpa, quæ proximè ad dolum accedit, licet in crimina-
 libus non æquiparetur dolo L. 7. ff. ad leg. Cornel. de
 ſicarijs. In inſtigenda autem Capitis pœnâ animus oc-
 cidendi

cidendi omninò attendi debet L. 1. §. 3. eod. pro ratio-
 ne tamen circumstantiarum etiam fustigatio cum relega-
 tione decerni potest. Carpz. pract. Crimin: C. 27. Citan-
 te D. D. Loccenio. Si quis verò per imprudentiam arma
 tractans, vel præmonitus, vel non adhibitâ sufficienti di-
 ligentiâ, causam mortis culpa levi C: 35. cap. xi. S. B.
 L. L. vi latâ aut dolo præbeat, ad tempus relegari aut pœ-
 nâ pecuniariâ vel utroq; plecti solet Arg cap. 8. Drååp
 B: medh wâda St. L. Ubi generalis regula talis ponit-
 tur. Och swâ wari i allo andro/ thet Manne warder
 budit bettra och gïör thet eigh.

(B) *An homicidium defensorium reddat ένοχον η̄
 χεῖρα? seu, An homicidium per inculpatam tutelam
 necessario commissum, sit peccatum morte expiandum?*
 De hac quæstione controversiæ ferram reciprocatur erudi-
 torum senatus. Quidam, defensionem vitæ etiam ine-
 vitabilem simpliciter improbant. Accuratioribus & sani-
 ores Jurisconsulti ut & Theologi uti inculpatam tutelam
 in casu inevitabilis necessitatis probant & tutantur; Sic
 homicidium defensorium negant capitale esse peccatum
 capitali pœnâ Luendum. Sententiam hanc suam statu-
 mant jure naturali, humano & divino. Nam (1) lex
 est Naturæ, omni animantium Generi indita, vim vi re-
 pellere licet. (2) Idem permittunt jura civilia & humana
 lib. 2. cap. ad leg: Cornel: de sicarijs hæc leguntur; *Is,*
qui aggressorem, vel quemcunq; alium, in dubio vitæ discrimi-
ne constitutus occiderit, nullam, ob id factum, calumniam me-
tuere debet. Item, si quis percussorem ad se venientem ferro
depulerit, non tenebitur crimine homicidij, quia defensor propriæ
salutis videtur in nullo peccasse. L. 3 d. Jus Suecanum ita sta-
 tuit cap. 1. §. 1. Drååp: B: St. L. år Han trångder å

lufznddh/ tā miffe en luf. (3) Jure divino idem demon-
stratur binis hifce Argumentis; fi pro domo & bonis de-
fendendis, furem noctu invadentem interimere licet Pa-
trifamilias per legem divinam: multò magis defenfio cor-
poris noftri à Deo concessa est; Sed licitum est prius, te-
fte Spiritu Dei Exod. xxii. 2. Ergo & posterius: Immo
locus iste modò allegatus, de occidendo fure parietes no-
ctu perfodiente, etiam proprij corporis tutelam comple-
ctitur. Porro, si proximum & proximi vitam contra
manifestam violentiam, necessitate opem noftram urgen-
te, defendere debemus ex præfcripto verbi Domini; etiam
propriam vitam & corpus proprium ad necem percuffo-
ris tutari licet nobis in extremo discrimine versantibus ci-
tra omnem aliorum opem; Lex enim dicit, diliges pro-
ximum sicut te ipsum. Prius illud à Deo concessum ef-
fe, patet Exemplo Abrahami, qui quantumvis in terrâ
Canaan, præfertim Sodomis, privatus homo fuerit, & nul-
lum ibi gesserit Magistratum, at tamen ad defensionem
& liberationem Nepotis sui Loti, qui injustè abductus e-
rat captivus, familiam suam armabat, hostes insequabatur
& trucidabat. Gen. xiv; 14. &c. Prius, inquam illud,
de defensione proximi à Deo concessa, imò imperatâ ve-
rum est: Ergo & posterius, de permissâ proprij corporis
& vitæ propriæ tutelâ. Verum enim verò, quamquam
ille, qui homicidium vel casuale vel defensorium commis-
sit, non est *εὐνομος τῆς κείρας*, sed in foro politico absolvitur
atq; à poenâ capitali eximitur, in foro tamen conscientiæ,
in foro poli, seu coram tribunali Dei, non est à culpa &
reatu immunis. Hinc est etiam quod reus jure Svecano
poenâ pecuniariâ teneatur cap. 1. D'ååp. B. St. L. c. 12.
Q. 9; Et more quarundam Ecclesiarum poenitentia Eccle-
siastica; fortè ob excessum inculpatæ tutelæ, vel quod
peri-

periculum est, ne in ipsâ defensione Irâ vel odium admiscuerint, Censente Baldvino in casib. consc. p. 888; vel quod cognatum sanguinem effuderint, quem sanguinem fratris ipse Deus vocat Gen. 9 5. Unde Thol. Synt: juris l. 36. c. 11 *Naturali quodam horrore, inquit, illum detestantur homines, qui sivè justè, sivè injustè effuderit proximi & fratris, nempe hominis sanguinem. Vid. D. D. Loc. Plura de homicidio casuali & defensorio qui desiderat, adeat Chemnitium l. c. de lege, cap. de vindictâ, pag. 140. Gerhardum Tom. 3, l. c. Art. de leg. pag. 107. Alstedium in Theol. cas. consc. cap. 18. p. 350. Amesium l. 5 de casib. consc. cap. 31 Riveti comment. in Exod. cap. 21. pag. 1036 D. D. Locce, Carpz. aliosq; infinitos.*

(γ) *An homicidium duelli præsertim à provocato commissum, capitale sit?* Negant qui duellum approbant, ut Alstedius in Theol. cas. consc. & Alij. Affirmant verò, qui duellum absolutè improbatum eunt. Si enim duellum licitum est, sequitur homicidium duelli non esse peccatum contra quintum præceptum & leges civiles: Sin autem duellum sit illicitum, sequitur, quod homicidio per duellum commisso quis reddatur judicij & capitis damnas: Est autem fallum prius: pro quo frustra urgetur *νορμαξία* Davidis cum Goliatho decertantis, eumq; vincentis; 1. Sam. xvii, 40. seq. Nam Exemplum illud planè extraordinarium esse, evincitur ex omnibus pugnæ illius circumstantijs; sicut etiam extraordinaria fuit ejusdem cum urso & leone miraculosa pugna. 1. Sam. xvii, 34. &c. Non hæc trahi potest ad imitamentum: Ergo neq; *νορμαξία* David: cum Goliatho, quippè non minus divina quam extraordinaria. Gratis etiam objicitur, quod ad duellum provocatus prævideat

se certò occisum iri, si non admittat oblatam duelli oc-
 casionem: Etenim malè confunditur duellum cum justâ
 & legitimâ defensione, perquam necessario vis vi repel-
 litur, hâc enim non intenditur cœdes, sed vitæ conserva-
 tio. At per duellum duo ex condicito congregiuntur e-
 um in finem, ut alter alterum interimat. Incaſsum quoq̃;
 dicitur, licitum eſſe duellum in hoc caſu; quando prin-
 ceptus vel Reſpublica juſtum bellum gerens, non par eſt
 oppugnandis hoſtis numeroſis copijs. Etenim iſte libe-
 randi modus impingit in Omnipotentiam Dei, cui æq̃; fa-
 cile eſt ſervare multis ac paucis, 1. Sam. xiv, 8. Atq̃; o-
 ritur è diffidentia contra promiſſionem illam; *Si obedie-
 ris voci Jehova Dei tui, exponet Jehova tibi inimicos tuos caſos,
 qui insurgent adverſum te: cum viâ unâ proceſſerint contra te,
 ſeptem vijs fugient coram te; Deut. xxviii. 1. &c.* Accedit,
 quod Univerſæ Reipublicæ ſalus Duello ſeu pugnæ
 duorum ob dubium & cæcum eventum temerè ac pericu-
 loſè committatur. Frivolum deniq̃; eſt, neceſſarium eſ-
 ſe duellum in bello, ne animum deſpondeat Exercitus
 provocatorum, neve ex adverſo, ad prælium aimentur
 provocantium hoſtium copiæ. Et animoſitatis bellicæ
 firma baſis eſt, non duellum, ſed cauſæ bonitas & auxiliij
 Divini certa fiducia. Verior itaq̃; eſt ſententia eorum, qui
 duellum improbant, etiam illud, quod ad probationem
 veritatis vel criminis purgationem ſuſcipitur. Enim verò
 veritatis & juris probatio legitima & ſolida fit, non per
 incertum *novum* eventum, ſed, vel per juramentum
 Ebr. vi, 16; vel per tabulas, Jerem. xxxiii; 10. ſeq. vel
 per teſtes, Deut, xviii, 6. Plura ad duellum pertinentia
 reperiuntur *apud Perkins. l. 3. caſ. conſe. Item apud Azorium
 Navarrum, Cajetanum. &c.* Tandem poſito hoc funda-
 mento quod illicitum ſit duellum, inde inducimus firmiſſe

firmâ sequelâ consecrarium illud; quod homicidium duelli
vel per duellum commissum, omninò sit peccatum con-
tra quintum præceptum, & quod maximè reddat judi-
cio obnoxium.

(d) *Quæritur ergo ulterius? An omnia duella pla-
ne & prorsus sint illicita?* Respondetur distinctè, quia
duella sunt duplicia, alia quæ virtutis & honestæ gloriæ
causa permitti solent, præmio vel sola laude, ut pugilatus
Fechtskulen/ item hastiludia & torneamenta Magnatum
& Nobilium, eaq; jure & bona consuetudine sunt conces-
sa. Vide *Althus.* c. 4. Num. 33. Aliæ dimicationes singu-
lares, seu duella etiam quascunq; ob causas suscepta, o-
mnia sunt illicita & à Serenissima Regia Majestate sub pœ-
na pecuniaria prohibita, cum nemo in se habeat jus ne-
cis. *Bocerus* de bell. l. 2. c. 7. Vid. *scîs Arum.* disc. 6, p. 276.
Ubi habet distinctionem inter duella, quæ in bello susci-
piuntur, & ea quæ extra bellum ingrediuntur. Excipit
duos casus *Grotius* de jure b: & p. l. 2. c. 1. Num. 15. quem
vide. Ubi belli & duelli est eadem ratio, ibi bona est ar-
gumentatio ab illo ad hoc: Si enim milleni possunt con-
currere in bello, imò millia aliquot, etiam duobus in eo-
dem manus conferere licebit; Ac solent hoc modo bel-
la sæpè magna finire, rem Exemplo illustrem; quomodo
Horatij pro *Romanis*, *Curiatij* autem pro *Albanis* concurre-
runt *Liv.* l. 1. Id autem trahi non potest ad duella, ex-
tra bellum suscepta, & ubi judicis copia haberi potest. Sæ-
pè homicidia sunt prohibita, divino humanoq; jure, ac
propterea duella, quoq; per quæ ad ea itur. Hinc mi-
lites, in exercitu temerè congregientes, puniuntur. Nec
quisquam probabit duellum, quod *Joabi* & *Abneri* jussu
ab duodecim utrinq; suscipiebatur, qui omnes cecide-

runt. 2. Sam. c. 2. Nec alia ratio provocantis & provocati, etiam si hic verbis contumeliosus sit læsus: Ceu adhuc in more apud quosdam positum, ut, qui provocat, provocandum laceſſat istis vocibus, *Si honesta matris filius es, si honestus es, Si talis vel talis &c. Si non es scelestus; Si non nauci homo es, si non es talis vel talis &c.* prodi. Si verò provocatus duellum detrectet & declinet, mox (sed male) concluditur & regeritur, eum *non esse honesta matris filium, non esse honestum sed scelestum quin scelesto deteriores;* Tali hostili provocationi sincerus vir non parebit, quia manebit honesti parentis filius, nec ejus honestati, famæ, & existimationi vel tantillum detrahetur, si sanguinario & impio provocantis postulato non pareat. Certè provocatus, si provocanti obsequatur ac morem gerat in arenam digladiationis sanguinariæ descendens, extra culpam non est, nisi id exigat defensio necessaria, quæ intra limites inculpatæ tutelæ manens non prohibetur, imprimis quando ad Magistratum confugere non potest provocatus. Alias Magistratus autoritate factam sibi injuriam potest vindicare in eum & animadvertere, ut non sit opus ad duellum venire. Cur enim ob verbalem injuriam, aut levem realem, vitam periculo temerè exponeret, cum nulla sit quoq; inter verbalem & realem injuriam proportio, nec pro verbali realis est statim reponenda. Faceſſant idcirco Monomachiæ & duella sanguinaria, in orbem ad Authorem & inventorem eorum releganda.

Queritur 11. An lex talionis Pythago. adhuc in usu sit. R. limitatè. Distinguendum de Talione ex Philosoph. Pol. L. 6. c. 5. Alia est simplex vel Pythagorica; alia analogica. Simplex est, si quis idem patitur quod fecit. Talis dicitur

Pythagoreis *ἀντιπροσώτως*, reciproca patiens, cum oculus pro
 oculo, dens pro dente eruitur. Cujus legis meminit
Demosthenes adversus *Democratem*; Ubi probat, antiquis
 legibus standum esse, nec illas facile ac temerè antiquan-
 das. Ejus verbis latinè utar. *Quæ* talia sunt: *Apud Lo-*
crenses, si quis novam legem rogabat, id collo in laqueum inser-
to facere cogebatur; ut, si lex rogata à populo probaretur, vi-
veret; sin minus, fractâ gulâ moreretur. Idcirco, cum no-
 vas leges rogare non auderent, sed veteribus religiose
 uterentur, longissimo tempore una & eadem apud illos
 lex probata & comprobata fuit. Nempe cum ibi lege
 talionis receptum esset, ut dens pro dente, oculus pro
 oculo, erueretur; ne illud supplicium ullo pretio redi-
 mi posset; quidem minatus (fertur) inimico suo mono-
 culo, se illi oculum excelsurum: hic eas minas rursus æ-
 grè ferens, cum sibi in cæcitate vitam morte acerbio-
 rem traducendam esse putaret, hanc ferre & rogare le-
 gem ausus est; Si quis oculum lusco eruisset, illi utrumq;
 oculum eximendum esse, ut jure talionis uterq; pari af-
 ficeretur calamitate. *Quæ* idcirco appellatur *lex lusco*
 & apud *Locrensos* plus ducentis annis viguit. Hæc talio
 simplex ab *Aristotile* meritò hæc ætate rejicitur; ut utriq;
 justitiæ distributiæ & commutatiæ contraria. Distrib-
 utiæ; quia habet meritorum, personarum, aut cir-
 cumstantiarum ac proportionis Geometricæ rationem:
Commutatiæ, quod non proportionem rationis spectet
 sed rem præcisè & pretium adeoq; proportionem Arith-
 meticam; Injusta igitur & non ferenda. Primò propter
 inæqualitatem hominum, qui Jure paribus pœnis affici-
 nequeunt: Nam pœnæ spectant ad exemplum. At, nec
 justum est, nec exempli publici; eandem haberi ratio-
 nem Magistratus & Civis, personæ publicæ & privatæ.

Secundò, talio illa Pythagorica omne arbitrium judi-
 cum, Virorumq; prudentum, in litibus, damnis, injurijs
 tollit. Ideo injusta est. Nam quorsum Arbitri & judi-
 ces, si idem præcisè pro eodem rependendum? Tertiò,
 iniqua hæc lex est propter varietatem & circumstantias
 actionum humanarum: quarum aliæ voluntariæ, aliæ
 involuntariæ. Si quis alteri oculum aut dentem impru-
 dentè excusserit: non æquum est, ut illi pariter oculus
 aut dens excutiat, ac si spontè & ex malitiâ id fecisset.
 Quia Jus Svecanum statuit tali in casu multam pecunia-
 riam: Conf. cap. 1. *Såramål medh wåda St: Q:* ubi
 expressè reperiuntur hæc verba; *Böthe åth wåda*
Botum tree marcker före lythet etc. Quarto hæc lex
 injusta est; propter periculum seditionum: Ita enim cui-
 libet licebit quemlibet lædere, sub iniquo talionis vel æ-
 qualitatis prætextu. Rusticus verberabit suum magistras-
 tum, sperans, se simili pænâ multatum iri, alapam pro
 alapâ recepturum, pro injuriâ injuriam; Quo pacto ci-
 vitas replebitur seditionibus, nulla habitâ hominum ra-
 tione. *Talio analogica seu proportionalis*, rerum vel perso-
 narum rationem habet. Nam *Locrensum* lege æquabi-
 lis interpretatio Talioni subrogata est, Coclite *Locrensi*
 rogationem ad populum ferente. Est igitur *talio analo-
 gica*, æqualia peccata pænis æqualibus, non iisdem, gra-
 via gravitèr, mediocria mediocritèr, levia levitèr, coër-
 cere: Ideo non abhorret à justitiâ commutativâ, quæ ad
 pœnas potissimum pertinet & contractus; quæ non fit
 secundum identitatem aut paritatem Pythagoricam, ve-
 rum *proportionem Arithmeticam*: Verbi gratia. Ut, si des
 mihi modium frumenti, par tibi reddam, non idem
 specie necessariò, vel frumentum pro frumento, quo for-
 tass non indiges, sed reddam quod æquivalet. Ser-

vus accipit à Domino alimentum, reposcit paterfamilias
 à famulo, non alimentum, sed fidelem operam; & hoc
 quidem secundum justitiam commutativam. Sic si ali-
 quis verberavit conservum suum, & alius Prætorem vel
 magistratum; si actiones simpliciter spectes, propter ut-
 tramq; injuriam æqualitèr puniendus uterq;, idq; juxta
 talionem simplicem & Pythagoricam: At, quia hinc cir-
 cumstantia personæ delictum aggravat & minuit majori
 pænâ dignus censetur, qui Magistratum, quam qui con-
 servum & collegam verberibus affecit. Quod etiam Lex
 Svecana hisce verbis innuit. *Alt thet som Fogatenum
 Borgmestrarum etc. gidrs i dråpum eller Sâhramâ-
 lum/ wari alt i Tweböthe.* Vide cap. xviii: *Sâra-
 måhl medh willia St: L.* Hisce reciprocis & Analogicis
 compensationibus Civitates conservantur: aliàs nulla fo-
 ret digna pœnarum erogatio, nulla beneficiorum com-
 pensatio, nulla vicissitudo officiorum, nulla civium gra-
 titudo, quæ tamen omnium virtutum parens est. Et
 hæc de *jure talionis simplicis & analogica*; & quatenus hoc
 jus in Republicâ sit recipiendum.

Quæritur iii. De vindicta. *Num aliquis eam justè
 rependere sustineat?* Affirmatur; distinctè Inprimis hæc ratio-
 ne, quia vindictio, quæ in malis cernitur, sicut gratia in
 bonis. Nam, ut gratia bonum pro bono rependit: ita
 vindicta malum pro malo; Sed *malum pœna non malum
 culpa.* Ea sc. est, per quam vis & injuria, vel quicquid
 est obscurum, vel ignominiosum, defendendo vel ul-
 ciscendo, propulsatur; ut loquitur *Cicero L. 2. de inven-
 sione.* Et, quia hoc est justum, sequitur, vindicationem
 esse justam. Non tamen omnem intelligo, sed qualem
 supra definimus. Nam quadruplex est vindicta; sola
 quarta tamen injusta censetur. Prima, *Divina*; secun-

da, *Heroica*; tertia, *legitima*; quarta, *temeraria*: 1. *Divina* vindictæ, quod Deum æquissimum Authorem habeat, rationem scrutari nefas est; quia nulla ratio prior est divinæ voluntatis beneplacito. 2. *Vindicta Heroica* Divino afflatu accenditur in hostes Dei; eaq; justissima quoq; & extraordinaria, quod non ordinaria; quod & ipsi Heroes admodum rari & extra ordinem à Deo excitentur. Talis fuit in *Samsone*, evertente columnas domus Philistæorum, ad Dei hostes opprimendos: In *Elia*, mactante Sacerdotes Baal: In *Elisæo*, convitiantes pueros devovendo ulciscente: In *Judith*, Holofernem obtruncante ac decollante: In *Christo ipso*; ementes & vendentes flagello & templo eiciente: In *Petro*, *Ananiam* mentientem cum uxore occidente. 3. *Legitima vindicta* dicitur ordinaria. Quæ fit secundum rectam rationem & legem politicam, ab ijs qui legitimam vindicandi potestatem habent: Ideò quoq; dicitur justa vindicta; Sed alio modo quam *Heroica*. Illa enim justa dicitur, quatenus fit ab *Heroibus* divinitus excitatis; Ideò non appellatur legitima nec tamen illegitima, sed extraordinaria. At vindicta *legitima* vocatur ordinaria, quia modo ordinario fit secundum leges: Ideò insignitur hoc titulo. sc. legitima: Sic pater filij contumaciam punit; pædagogus discipuli lasciviam & nequitiam coercet; minister scandalii authorem reprimit; Magistratus in cives noxios, latrones, fures, & hostes Republicæ, gladio animadvertit; vel alio modo pro ratione criminis sceleratos castigat. Sine hac igitur legitimâ vindictâ, nec domus, nec Civitas, nec Ecclesia, nec Regnum, nec ulla humana societas, subsistere potest. Porro, ut dicatur legitima vindicta, justii æquiq; limites excedere non debet; quia virtus in medio, non in excessu aut defectu, versatur: ut

autem

autem non excedat limites justitiæ, spectandus est
 iudicantis, qui scilicet non intendat partialiter ma-
 lum alterius. Hoc enim pacto vindicta, quæ extrinse-
 cus iusta est, quod fiat secundum leges, revera, vel in-
 trinsecus iniusta redditur. Nam delectari in malo alte-
 rius, pertinet ad odium, quod est contra Charitatem;
 Si Magistratus aliquem morte dignum ad supplicium
 condemner; non quia morte dignus est, sed quia homi-
 nem prius odio habuit; iusta quidem est sententia, sed
 iniustus iudex, quia non juri satisfacere, sed odio suo in-
 dulgere voluit. Ut igitur vindicta dicatur, & sit licita,
 iusta, legitima, vindicantis finis non debet esse malum
 alicujus particularitèr, sed bonum publicum; nempe
 pœna culpæ, peccatoris correctio, aut saltèm reprehen-
 sio, justitiæ conservatio, quies bonorum, & Dei gloria.
 Nec enim pugnat cum dilectione proximi, pœnam de fla-
 gitioso exigere. Nam tota hominum societas majoris
 debet æstimari, quam salus unius nebulonis incorrigi-
 bilis. Hic igitur sequi decet Regulam *Bernhardi*, *melius*
est, ut unus pereat, quam unitas. Quare, cum queritur, *u-*
trum liceat malum pro malo reddere; responsio peti potest
 ex prædictis; Siquidem duplex est malum, sc. *culpa* &
pœna. Malum *culpa*, est *culpa* ipsa, vel peccatum, ma-
 lum *pœna* est *pœna* peccati; Quod licet iustum & bonum
 sit, malum tamen dicitur respectu illius cui infligitur.
 Cum igitur queritur, *An malum liceat pro malo reddere;* R.
 Si intelligas malum culpæ, sequi oportet Regulam Apo-
 stoli; *Non faciendum malum; ut bonum eveniat:* vel Domini
Non est faciendum malum pro malo: Quia tale malum ever-
 tit Charitatem; quæ etiam ipsos hostes complectitur;
 Nam iubemur ipsos inimicos amare. Si igitur quis fra-
 trem tuum occidat, non debes vicissim fratrem ejus è

medio tollere, hoc est, peccatum peccato compensare, vel malum facere pro malo. At, si malum intelligas *pæna*, tunc justum est, malum pro malo reddere; id est, malum *pæna* pro malo *culpa*, hoc est, legitimè punire & cœrere delictum; quod opus est legitimæ vindictæ vel virtutis; non tamen unius; sed, quatenus est actus privatæ personæ, dicitur actus vindicationis ex debito morali; At, quatenus est actus publicæ personæ, aut judicis, dicitur actio justitiæ *commutativa* ex debito legali. Obiicitur contra id quod dicimus *vindictam etiam esse in potestatem hominis privati ex debito morali* privatis præcipi ne vindictam exerceant, ne ordinem à Deo constitutum, sive manu, sive animi motu turbent: Quæ sane Regula utilis est; Imprimis imperia ac pacem publicam conservat, tollit confusionem. Et sanè constat, quantos sæpè motus in Republica privatæ vindictæ cupiditas excitet. Hinc Deus ipse publicam vindictam quidem stabilit, at privatam damnat; Nam homines privati non gladio à Deo armantur; sed publici Magistratus, ut Dei Vicarij. *Quomodo igitur Vindicta dicitur virtus hominis privati?* Insigne sanè Exemplum animi cohibentis vindictæ cupiditatem fuit *David*, qui abstinuit ab injuriâ *Saulo* inferendâ, cum tamen eum absq; ullo tumultu necare potuisset. Sed noluit Regnum privata ultione aut flagitio, sed a Deo traditum occupare. &c. Eatenus vindicta privato convenit homini non ut ille vindictam exercent; Sed quatenus quilibet legitimè potest aliquem de flagitio accusare vindicandi animo, non privati offensi, sed criminis publici gratia. Hoc igitur in ista virtute singulare est, quod ejus possessor per se actionem perficere aut implere penitus nequeat, propter necessitatem materiæ, quia vindictæ materia, aut objectum, est malum *pæna*, ut supra; hoc est, pœna

vel

vel emendatio peccatoris; quæ potestatem coactivam exi-
 git; quia punitio est legis actio vel executio. Quamvis
 igitur vindictio sit virtus aliquomodo privati hominis,
 quatenus unicuique licet maleficium ad pœnam accusare;
 vix tamen, aut rarò sine publica auctoritate exerceri potest,
 quia vindicta, quo ad exercitium, Deo & publicis Dei Mi-
 nistris relinquenda: Nam illa Dei vox, *Mea est vindicta &
 retributio*, includit etiam Magistratum. Nam Republicæ
 vindicta, injurijs etiam hominibus illatis, debetur. Quar-
 ta vindicta dicta fuit *temeraria*, quæ sola Dei verbo da-
 mnatur. ut, si quis aliquem accuset, vindicandi æstu ar-
 dens, aut offendentis interitum, non correctionem, aut
 conservationem justitiæ, respiciens, vel si iudex legem
 pravis affectibus contaminat aut corrumpit; si peccantis
 morte vel pœna lætatur: hujusmodi iudices homicidæ
 sunt. Temeraria quoque vindicta appellatur, quæ fit au-
 thoritate propriâ, vel privata; nisi fortè in suæ tutelæ ne-
 cessitate; Nam vim ei repellere fas est: Sed cum mode-
 ratione, ut loquuntur, inculpatæ tutelæ. Aliàs etiam
 vindicta, quæ in necessitate suæ defensionis fit, injusta di-
 citur, si sc. quis, limites justæ defensionis transgressus, ho-
 stem, animo gladiatorio aggreditur aut lædit.

Clausulæ loco obiter hic addendum. *iv. Quanam condi-
 tiones ad moderamen inculpatæ tutela ab iis requiruntur?*
 Sequentes sc. (1) ut injustus sit invaloris impetus & insultus.
 (2) Ut subita sit violentia invaloris, utque à te defensio fiat
 in continente, adeò, ut non possis cedere, & fuga servari,
 sed vim vi opponere inevitabili necessitate teneris. (3)
 Ut pertinax sit violentia invaloris, atque frustra tua depre-
 catio; Etenim, si ille invadere & aggredi desistit, fugitque,
 non amplius tu in vitæ discrimine versaris, atque tunc il-

lum insequi, percutere, atq; interimere non licet. (4) Ut Magistratus non adsit, tibiq; opitulari non possit. (5) Ut intentio tua sit non ultionis, non cædis, sed mæ-
ræ defensionis. (6) Ut interficere supersedeas, si alia
mitior eaq; satis tuta, defensionis ratio detur. (7) Ut
defensio tua non duret ultra congressum, sed, eo finito,
finiatur. (8) Addunt alij ut arma & tela utrinq; sint pa-
ria. Si enim ense ferias inuasorem fuste te petentem;
aut bombardam explodas, illo lapidem ad te projicien-
te; tutela tua non est inculpata. *Συμβιβδην;* Qui adver-
sus illatam injuriam legitimè & mediatè se tuetur per Ma-
gistratum; Aut Magistratu deficiente, vim vi repellere
omninò cogitur, ille Christianum iuculpatæ tutelæ mo-
deramen ritè servat. Sed manum de tabula ! ne quic-
quam hic vili meo ac juvenili judicio tribuisse videar.
Tu, verò, Lector benevole, qualiacunq; hæc fuerint, æ-
quo animo adspectuq; dignare. *Tantum feliciter*
SAPIENTISSIMO RERUM PUBLICARUM CONDITORI
GLORIA, LAUS, HONOR.

Ad

Humanitate & Doctrinâ politissimum,

Dn. ANDREAM MERTHENIUM,

Aboensem, Commilitonem & amicum per dilectum.

TΕΤΡΑΨΤΙΧΟΝ.

Quod proponit homo, disponit dextra Jēhovæ,
Destinat ille quidem; hæc ut cupit omne facit,
Scilicet omne bonum Deus ipsè volendo ministrat,
Ast mala non poterit velle, sed aptat ea.

Scriptum festinanti stylo ab
ENEV. SVENONIO

Q. G. A. S. S. Th. D.

*Ad juvenem Virum, virtute & Eru-
ditione præstantissimum,*
Dn. ANDREAM MERTHEN,
egregie differentem.

Nervos Ingenij intendis doctissime MERTHEN
Atq; facis rectè, cum & probitate cluas,
Nestoris in annos felici fidere vive,
Ut Vigeas Patrij fulgida gemma Soli?

Ita L. Mg. deproperab.

AXELIUS KEMPE
Juris Prof. Ordin.

VIRO JUVENI,
Eruditione commendabili,
Amico singulari,

Prodibunt tandem primi tentamina versus,
Juxta illud Vatis, Stylus immiscetur & alter,
Nec multum dicam, licet illud forte juberet
Scribendi nervus, gravitas simul addita rerum,
qua tetigisse Tibi pulchrum, gratumq; carmenis
approbat & mecum rerum quicumq; peritus;
hac sed ceu dixi, brevibus narrare licebit.
Quippe satis clarum, nullum superare Magistros
illos, qui summi tractant Mystera verbi,
Quo comprehensa hominum sunt argumenta salatis.
Hos sequitur meritò, moderatrix juris & equi,

Quæ

Quæ regit has terras, totum quoq; dirigit orbem
legibus; ut contra fas hic sit dicere cuiquam,
qui saltem fuerit, rationis dote probatus;
Virtus herbarum, naturæ aut semina nulla
nullave lex cali, depicta coloribus aptis,
scindat tot lites, totus quibus orbis anhelat:
id nequeant pariter, reliqui quicunq; Sophistæ
Seu morum doceant studium vel solvere nodos
instituant: Ergo Tibi laudis gloria cedat,
maxima; quippe velis juris vigilare camænis
Auxilio quarum culmen conscendas honoris,
Ut prodesse queas Patriæ Viduæq; Parenti.

Hæc apposuit

DAN. ACHRELIUS.

